



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Defensio Abbatiae Imperialis S. Maximini

Zyllesius, Nicolaus

Treveris, 1638

13. Ottonis M. Imperatoris Dat. Ingelhemij, Anno DCCCCLXV.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14268

*Ottonis Magni Imperatoris Datum Ingelheim
Anno DCCCCLXV.*

IN nomine Sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. Otto diuinâ auxiliante Clemen-
tiâ Imperator Augustus. Quoniam Imperatoriæ dignitatis officium esse con-
stat, vt Monasteria Deo & Sanctis eius cultu & deuotione fidelium dicata,
ab incurfantibus & irruentibus vndique molestijs pia sollicitudine præmu-
niantur, idcirco nos interuentu & monitu dilectæ Coniugis nostræ Adelheidæ
Imperatricis, Fratris quoque nostri charissimi Brunonis Archiepiscopi, pro
statu & incolumitate Regni & Imperij nostri, vel filij nostri Regis Ottonis Pri-
uilegia ab Antecessoribus nostris Imperatoribus Carolo videlicet, Ludouico, &
Lothario, cæterisque Francorum Regibus Cœnobij Sancti Maximini Confes-
soris, qui in suburbio Ciuitatis Treuir. requiescit, concessa, nostris etiam Priui-
legiis more Imperatorio augere decreuimus & roborare, ea siquidem ratione,
vt idem Cœnobium sub nostro Successorumque nostrorum Mundiburdio, vel
defensione perpetualiter permaneat, nec alicui sedi aut Ecclesiæ vel cuiuslibet
personæ beneficiarium aut subiectum nisi Imperatoriæ, vel Regis dignitati sub-
sidat: Monachi etiam ibidem Deo seruientes eligendi inter se Abbatem libe-
rum habeant arbitrium, talique per omnia, sicut cæteri Monachi, in Regalibus
& publicis Abbatijs Libertate fruuntur. Et vt hoc authoritatis nostræ præ-
ceptum inconuulsum & stabile permaneat, chartam hanc conscribi & annuli
nostri impressione signari iussimus.

Signum Domini Ottonis inuictissimi Imperatoris Au-
gusti. Ludolphus Cancellarius ad vicem Brunonis Ar-
chiepiscopi recognoui. Data Nonas Aprilis Anno Do-
minicæ Incarnationis DCCCCLXV. Indiotione VIII.
Anno Regni XXX. Domini Imperatoris Augusti Ot-
tonis. Actum Ingelheim Palatio in Dei nomine felici-
ter. Amen.

